



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ARAUCENSIS***VICARIATUS APOSTOLICUS
ARAUCENSIS AD GRADUM DIOECESIS ATTOLLITUR Accuratissima Summis Pontificibus in
statuendis et ordinandis ecclesiasticis circumscriptionibus prudentia est adhibenda, ut eorum
quam maximum assequantur bonum, qui Christi fidem sequuntur. Qua in re, ipsa
circumscriptionum forma non mediocre habet momentum, cum varia dignitas et gradus, varia
etiam requirat incepta, administrationem, industriam. Quoniam igitur Vicariatus Apostolicus
Araucensis in Republica Columbiana multum in rebus tum religiosis tum civilibus profecit,
praesertim missionariorum opera, Venerabilis Frater Iesus Aemilius Jaramillo Monsalve,
Episcopus titularis Strumnitzensis atque eiusdem Vicariatus Ordinarius, audita Conferentia
Episcopali, postulavit ut ille Vicariatus Araucensis dioecesis fieret; Nos, existimantes eiusmodi
dignitatis amplificationem populi christiani utilitati esse profuturam, Venerabilis Fratris Angeli
Acerbi, Archiepiscopi titularis Zellensis et in Republica Columbiana Apostolici Nuntii, propensa
cognita sententia, consensu suppleto quorum intererat vel sua interesse putantium, precibus
exauditis haec ex Nostra Apostolica potestate et auctoritate decernimus. Vicariatum Apostolicum
Araucensem dioecesim constituimus, Ecclesiae Neopampilonensi suffraganeam, eodem nomine
iisdemque finibus servatis, quibus ipse Vicariatus terminatur. Novae dioecesis episcopalem sedem
in urbe Arauca et cathedralem Ecclesiam, iuribus congruis datis, in paroeciali templo ibidem sito
Deoque in honorem Sanctae Barbarae dicato, collocamus; Episcopum vero pro tempore, per
omnia ceteris residentialibus Antistitibus exaequatum, metropolitico iuri Archiepiscopi
Neopampilonensis subicimus. Qui ei sit auxilio, coetus consultorum deligatur. Quod ad cetera
spectat, nempe ad honestam Episcopi sustentationem, ad dioecesis regimen, administrationem,
dioecesani Administratoris, sede vacante, electionem, Iuris Canonici recenter promulgati normae
teneantur; item quod pertinet ad seminarii moderationem, prae oculis habitis hoc in casu etiam
regulis a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica statutis, necnon necessitate excitandi
maximo studio, qui sacerdotium petant, ex quibus selecti aliqui possint suo tempore Romam mitti
apud Collegium Pium Latinum, philosophicis et theologicis disciplinis instituendi. Denique,
dioecesis constitutione effecta, clerus Vicariatus adscriptus, novae dioecesi incardinatus habeatur.
Quae omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Angelo Acerbi, eidem necessariis et
opportunitatis factis facultatibus etiam delegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in
ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Sacram Congregationem pro Episcopis

sincerum actus perfectae executionis exemplar mittendi. Apostolicas autem has Litteras et nunc et in futurum ratas et firmas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

<p>AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p>	<p>BERNARDINUS Card. GANTIN <i>S. Congr. pro Episcopis Praef.</i></p>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Hyginus Quadraroli, *Protonot. Apost. s. n.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 11, pp. 948-950

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana